



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Illis, qui onus matrimonij abijcere conantur, sanctiorem virginum ac viduarum statum reclamare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Quæ eam placuit ob causam disputare, quia haud exiguus est numerus heterodoxorum, non solum veterum, ut sunt Gnostici, Aëriani, Meffaliani, Iouianistæ, Vigilantiani, Beuardi, Waldenses, &c. sed etiam recentiores, qui è Caluini Lutherique schola prodierunt: & magnis vocibus declamant, tam latè præceptum matrimonij ineundi patere, ut coniugium omnibus imperatum necessariumque esse doceant; immò ut non solum possint, sed etiam in conscientia arctissimè obstringantur omnes Canonici, omnes Clerici, omnes Moniales, omnes Monachi, omnes Religiosi ad statum coniugij amplectendum; quocunque perpetuæ continentia voto se ligarint. *Verum profecto est, ait Lutherus, eum lenonem esse oportere, qui matrimonium fugiat: & qui aliter eueniret?* ait. Quo dogmate non solum magnam inferunt cladem voto castitatis, sed etiam nimis grauem iniiciunt nuptiarum adornandarum necessitatem. Extat, apud Gratianum canon Concilij Toletani, III. aduersus eos, qui virgines à proposito continentia impedire, eisque maritos obtrudere nitentur. Eo canone cauetur, ne quæ virgo, extra suam voluntatem, cogatur nubere, statumque relinquere perfectiorem. Siquidem Apostolus virginem cum coniugata comparans ait: *Et mulier inuupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu.* Ex mente igitur Pauli, virgo placet Deo, aliquo modo, quo non placet coniugata; & sancta est virgo, aliquo modo, quo coniugata non est sancta. Siquidem qui, aut quæ nuptijs implicantur, cogitant quæ mundi sunt, quo modo placeant vxori, aut marito: eaque propter, non possunt Deo placere, eo gradu perfectionis, quo placere potest virgo. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Dicit aliquis, ait S. Hieronymus: *Et aude nuptijs detrudere, quæ à Deo benedicta sunt? Non est detrudere nuptijs, cum illis virginitas antefertur. Nemo malum bono comparat.* Bonum est coniugium: melior virginitas. Qui melius eligit, bonum non contemnit. Non contemnit, in Sicilia matrimonium S. Nympha Panormitana, quando virginitatem connubio prætulit, atque ob id sertum lilijs rosisque contextum, ab Angelo, accepit.

M m 3

Neque

IV.

Caluin. in Harmon. Matth. 19. 10. seq. Luther. tom. 5. in ser. de matrim. quem Anno 1522. de matrim. habuit. Canon. Hoc sancti 32. q. 2.

1. Cor. 7. 34.

1. Cor. 7. 38.

S. Hieronym. epist. ad Eusebium.

Baron. in Martyrol. 10. Nouemb.